

ΣΤΝ ΘΕΩ

DISPUTATIO MEDICA

DE GRAVISSIMO COLI-  
CÆ AFFECTU;

*Quam  
Presidente*

Excellentissimo Clarissimoq; viro

DN. IOHANNE  
HARTMANNO PHILOS.

ET MEDICIN. DOCTORE ET CHYMIA-  
triæ in Illustriss. Academ. Marpurg. Profess. publico,  
Præceptore ac Promotore suo debita cum  
observantia colendo.

*Exercitij gratia publicè ventilandam pro-  
ponit*

JOHANNES KHEYLL URATISLAVIENSIS  
SILESIUS.

*Marpurgi ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,  
Anno DeVs NobIsCVM.*

li,  
s,  
L





MAGNIFICIS,  
NOBILISSIMIS, AMPLISSI-  
MISQUE VIRIS,

*Dn. JOHANNI Schwab à Buchen/ in Buchrisen &  
Poppelwik.*

*DN. DANIELI Hefler à Polockwik & Wangern*

*DN. LEONHARDO Ohlhaffen à Schellenbach in Boe-  
raw.*

*DN. JOHANNI Buchern.*

Inclytæ Uratislaviensium Reipublicæ Se-  
natoribus dignissimis meritissimisque;

Dominis & Mæcenatibus suis magnis, æter-  
numque colendis,

Disputationem hanc Medicam  
In debitæ observantiæ & gratitudinis  
æviternæ symbolum

offert & dedicat

JOHANNES KHEYLL.



# POSITIONES MEDICÆ, DE DOLORE COLICO.

## THESIS I.



Ravis ille, & celebris Stoicæ Philosophiæ au-  
thor, fautorq; Annæus Seneca, ut omnia do-  
ctè & gravitèr, sic illud sapienter & verè pro-  
nunciavit, tria esse in quolibet morbo gravia  
& dura, Mortis metum, corporis dolorem, &  
voluptatis privationem.

2. Inter quæ mala absq; controversia, primum locum ob-  
tinet corporis dolor, quandoquidem, vel teste Aristotele 3. E-  
thic. 3. multo difficilius est humanæ naturæ, sustinere dolores,  
quam resistere voluptatibus.

3. Ut igitur inter hæc dolor corporis primas tenet, sic in-  
ter sævissimos dolores, qui corpus humanum affligunt, excru-  
ciant, dilaniant, non ultimas certè tenet dolor colicus; quip-  
pe qui non frequentia & diuturnitate solum molestus est, sed  
quandoq; adeò gravis etiam, ut testantibus id Hercule Saxo-  
nia & aliis, patientes coegerit manus sibi inferre violentas.

4. Non abs re itaq; me fecisse videbor, si ingenii exercen-  
di causa, pro virili saltem, in ejus ratione & curatione labora-  
vero, cum præsertim nihil vel parum admodum de his à vete-  
rum Medicorum Principibus nobis traditum sit.

5. Quod ipsum ut præstem rectius, Nomen dicti affectus,

Definitio, Causæ, Differentiæ, Diagnofis, Prognofis, Indicationes, & Materia Medica ordine inquirenda funt.

6. Dicitur hic affectus Græcis *μωλικὸν ἄλγημα, κωλικὴ ὀδύνη*, seu *νόςος* Paulo *κωλικὴ ἀγέθεσις*, Celso morbus intestini plenioris, vulgo Colica, Dolor seu passio Colica, desumpto nomine ab ipso doloris hujus subiecto, siue parte læsa, quæ Colon est. Quatuor namq; modis nominantur morbi, vel à Symptomate, ut Tenesmus & Spasmus: vel à parte læsa, ut Pleuritis, Chiragra, Podagra, Ischias, Colicus; vel ab utrisque ut Cephalalgia, Cholera, Leucophlegmatia, vel à similitudine, ut Elephas, Polypus, ut ait Galenus l. 2. c. 1. Meth.

7. Est autem dolor Colicus tristis sensatio intestini Coli, eaq; vehemens, cum retentione excrementorum, flatuumq; ut plurimum conjuncta.

8. Ex hac descriptione elucet, quod sit Symptoma facultatis tactricis læsæ, & quod pars affecta sit Colon intestinum, à quo etiam, ut supra dictum, notatio hujus affectionis desumpta est.

9. Notandum autem nomine Coli intestini dolentis nos intelligere membranas ipsas, tam internas, quam externas.

10. Causæ hujus Symptomatis variæ sunt, ut videre est apud Paulum lib. 3. cap. 43. & Aetium lib. 9. cap. 29. Immediata tamen, & proxima est solutio continui.

11. Antecedens verò causâ interna potissimum sunt crassi & pituitosi humores, intra Coli membranulas subsidentes; vel materia flatulenta præter naturam ibidem contenta; vel acris mordaxq; succus dictum intestinum afficiens; vel denique vermes, Lapides &c. ut videre est apud Fernel. l. 6. Pathol. c. 10. Holler. in Schol. ad c. 41. de morb. intern.

12. Accidit autem non rarò, authoribus Gal. li. 6. cap. 2. de loc. aff. & Tralliano l. 10. c. 1. ut causæ dictæ misceantur potissimum tum temporis, cum morbus diuturnior est, ubi frequenter

per unã cum crassitie materiæ jungitur etiam acrimonia flatu-  
lenta cum inflammatione.

13. Hanc ob causam juxta Hermeticos *Μεθεξι πολικί* ex  
mucilage tartarea, stypticis & acetosis spiritibus permixta  
produci ac progenerari plerumq; statuitur.

14. Proveniunt autem dictæ causæ materiales dolorem  
facientes, vel ex cruditate ventriculi, vel quia astringitur alvus,  
vel quia transmittuntur, vel à capite, vel à toto corpore, vel ab  
alia parte determinata.

15. Plurimum etiam confert naturalis dispositio Coli, quod  
est receptaculum, ad quod omnes in corpore superfluitates  
confluunt, ibiq; ob anfractus & plurimas cellulas detinentur.

16. Denique ad id quoque facit accidentalis dispositio,  
quæ in iis est, qui antea sæpe his doloribus fuerunt infestati.

17. Externæ causæ sunt omnia illa, à quibus dictæ mate-  
riæ humorales & flatulentæ, tam quo ad qualitatem, quàm  
quo ad quantitatem vitiosæ generari & in intestinū introduci  
possunt, & à quibus intestinum angustari & obstrui potest: ut o-  
lera, legumina, lapides fructuum nucleatorum, vel fructus duri  
& crudi, fungi, anguillæ, reliquaq; pinguia & mucosa, potus a-  
quæ frigidæ, frigus externum, à quo non solum intestina sed &  
pedes refrigerati colicam inducunt.

18. Differentias porrò quod attinet, Dolor Colicus alius  
est intensior, alius remissior, interdum continuus, quandoque  
per intervalla rediens: Vagus aliquando, interdum verò fixus,  
& in uno loco permanens: Interdum cum febre est conjun-  
ctus, Symptomatibusq; febrim comitantibus, sæpissimè sine  
his existit.

19. Signorum in hujus morbi cognitione quatuor potif-  
simum reperiuntur genera. Primum est quod locum affe-  
ctum; alterum quod causas demonstrat; tertium quod Coli-  
cum à circumjacentium partium dolore separat; quartum  
quod eventum morbi prælagit. Ad

20. Ad primum igitur signorum genus deveniendo in genere Colicam passionem ostendunt dolor vehemens ventris, nunc fixus, nunc vagus & tensivus, interdum pungens & mordicans, modò in hâc, modò in illa parte vehementior, præsertim in sinistro inguine, quod ibi Colon sit magis angustum, adest nausea, ructus, & vomitus graves abominabilium & corruptarum materiarum, alvi astrictio, vel si quid naturæ vel artis beneficio ejicitur, id ipsum maxima ex parte ficcum & flatulentum est, Gal. 1. 2. c. 1 & lib. 6. c. 2. & 3. de loc. aff.

21. Secundum genus continet indicia causarum hujus affectus, ut si ex humore frigido & crasso, Pituita nempe vitrea, vel Melancholia, quod rarò evenit, malum hoc dependeat, dolor per totum abdomen in alto, præsertim ubi est Coli situs, sentitur, perinde ac si intestinum tunderetur & perforaretur, adest sensus gravitatis & frigiditatis, cordis angustia, nausea, vomitus pituitosus, nulla est sitis, excrementa mucosa, præcessitq; victus ratio ad pituitæ productionem apta, quod ipsum etiam innuit constitutio ventriculi frigida, habitus corporis, & reliquæ circumstantiæ.

22. Si ab acris & mordacibus humoribus producitur, dolor adest mordicativus & punctivus, sitis, oris amaritudo, excrementa sunt biliosa, urinæ quoq; admodum flavæ & biliosæ, victus ratio bilem copiosè producens præcessit.

23. Si ex flatulentis spiritibus, tensivus est & vagus dolor; si in cavitate intestini continentur, adest flatus & murmuratio, ex crepitu levantur; Si in tunicis, pungitivus est dolor, sed non permanens, & variat secundum locos, victus ratio præcessit flatuosa.

24. Ex inflammatione provenire monstrant æstus & pulsatilis dolor in loco affecto, sitis & vigiliæ, ingens ciborum fastidium, exasperatio à calidis, refrigeratio extremorum, biliosorum evomitio, omnimoda non solum alvi, sed etiam interdum

dum urinæ retentio, denique febris etiam, quæ juxta Paulum  
l.3. c.5. & Trallianum, nunquam ferè non, Colo inflammatio-  
nem cum dolore sustinente, adest.

25. A vermibus produci passionem hanc, deprehenditur  
à natura ægri ad generationem vermium propensi, qui etiam  
aliquando ejiciuntur, adsuntque reliqua signa lumbricorum.

26. Tertium signorum genus distinguere nos docet à do-  
lore Colico reliquos vicinarum partium dolores, qui cum ipso  
cognitionem & similitudinem aliquam habent, ne fortè simi-  
litudine illa, quæ non modò vulgaribus, sed etiam præstanti-  
bus Medicis nonnunquam errores & dubitationes afferre so-  
let, juxta Hip. 6. Epid. comm. 8. decipiamur.

27. Ab Iliaca igitur passione differt Colica, primò, ratione  
doloris, quia dolor Ilei major est, magisque pungitivus, uni-  
formis & fixus, idque ob partis exactiorem sensum, licet Coli-  
cus interdum non minus vehemens appareat ratione causæ:  
Contra Colicus magis est extensivus & perforativus, instabilis,  
& nunc vehementius nunc mitius infestans. Secundò ratione  
loci, Ilei dolor superior & juxta ventris fundum magis & supra  
umbilicum viget, contra Colicus. Tertio ratione symptoma-  
tum: In Iliaca passione vomitus & ructus sunt magis continui  
& foetidi, quam in colica.

28. A dolore uterino etiam distinguitur: Solent enim  
mulieres à partu, aut menstrui tempore, dolore torqueri Co-  
lico persimili, sed utero affecto dolor magis in ligamentis ad  
inguina & coxendices videtur, quibus adde partum antece-  
dentem, aut obstructionem mensium, in quibus dolor magis  
circa renes, quam in anterioribus umbilico proximis partibus  
vagatur, quod dolor Colicus non facit, qui ventriculi regio-  
nem ascendit.

29. Denique à Nephritico dolore quoque differt, primò,  
quia hic quasi fixus est, à posteriori parte, nimirum à dorso o-  
riginem

riginem trahens: Colicus verò extensus & non nihil quietus. Secundo, quia Nephriticus aliquando in sinistra parte & posteriori, Colicus semper in dextra; Et licet sinistram aliquando attingat, non tamen sinistram posteriorem. Tertio, quia Colicus plurimos habet vomitus, & variæ substantiæ; nephriticus verò minus. Quarto, quia Colicus per intervalla nephriticus semper, & maximè à cibo intestat. Quinto, quia Colicorum urinæ parum aut nihil mutantur, Nephriticorum verò maximis mutationibus insigniuntur, in principio enim claræ, postea asperum quiddam in illis residet, turbidæ ac confusæ redduntur. interdum etiam cruentæ. Denique à dejectis alvi excrementis non levantur Nephritici, contra verò levamen sentiunt colici.

30. Hucusque tria signorum genera absolvimus: Restat jam ut quartum etiam, priusquam ad curationem veniamus, subjungamus, signorum nempe *θερυνωσικόν*, an scilicet morbus hic sanabilis sit, nec ne? Frustra namque illius morbi curatio à nobis præscriberetur, quæ nullo modo perfici posset.

31. In genere igitur affectus hic incurabilis quidem planè non est, infestus tamen satis & periculosus, tum ratione propriæ essentiae, Symptomatumque sævitiae, tum etiam, quia in graviores sæpissimè affectus terminari consuevit, resolutionem nempe nervorum, articulare dolorem, nonnunquam etiam in Hydropem siccum vel Ileum, ut testantur Ægineta, Trallianus, & alii.

32. In specie verò inter omnes affectiones colicas, ea, quæ ex inflammatione ortum ducit, est gravissima, præsertim, quando prava adhuc succedunt Symptomata, ut singultus, vomitus & ructus foetidi, in Ileum enim transitionem minatur.

33. Minus periculosus est Coli dolor, ubi non omninò excrementa retinentur, neque in una ipsius Coli parte fixus dolor sentitur, vehementissimi enim Colici dolores periculosiores

res



res sunt, quàm mitiores utpote qui à levioribus causis sunt,  
& Coli dolor fixus arguit morbi materiam fixam.

34. A flatibus dolor omnis facilius curatur, quàm qui ab humoribus, & ab humore tenui pauco facilius quàm qui à crasso multo, viscoso.

35. Ab externa denique causâ natus dolor, lenior quoque & brevior est.

36. Et hæc *δεπκῶς* de tota morbi essentia dicta sunt: consequens nunc est, ut ad curationem accingar præmissis tamen prius indicationibus, quæ à causâ doloris & ab ipso dolore depromuntur.

37. A dolore sumitur Indicatio cum adeò vehemens est, ut tantisper neglecta causâ, curationem ad se pertrahat. Propriè enim Symptomata curationem non requirunt, nisi rationem causæ majoris mali habeant. Quare si dolor auctus tantus fuerit, ut secum maximi periculi metum apportet, posthabita curandi lege protinus sedandus est & mitigandus.

38. Tripliciter autem dolor aufertur. Primò iis quæ causam doloris tollunt, eique contraria sunt. Sic dolor à frigore tollitur calidis, & contra. Secundò anodynis, quæ pargorica dicta, propriè doloris causam demulcent. Hæc enim gradui nostri caloris similia causam doloris mitigant, concoquunt & æquabilem reddunt, leviterque rarefaciunt. Tertiò narcoticis dolor aufertur, hæc enim quia sensum partis tollunt, dolorem non percipi efficiunt, cum pars sensu privata non doleat. Verùm propriè causam doloris non tollunt, nisi fortè per somnum, quem inducunt, ea mitigetur & concoquatur. Si dolor itaque vehementissimè urget, narcoticum, si non adeò vehementer, anodynum saltè indicat, sive per os, sive per clysterem & suppositorium sumendum.

39. In usu verò horum observandum est, Primò ne usum horum differamus, donec vires labescentes prorsus deficient,

B

Se-

Secundò, quod commodius & tutius usurpentur in doloribus à causa calida quam frigida. Tertiò, quod tutior sit usus compositorum, quam simplicium.

40. Ad morbum ipsum sive doloris causam quod attinet, si sit nuda intemperies, quod tamen in hoc casu rarò vel nunquam usu venit, vel si accidat, non diu tamen sola immaterialis subsistit, per contraria est alteranda: si cum materia, quæ quantitate peccet, evacuetur, ut si sint flatus discutiantur, si bilis, pituita, vel alius p.n. humor evacuetur.

41. Hic autem considerandum, an causa doloris essentialiter in Colo generationem habeat, an verò aliunde comunicetur & fomentum suum accipiat, sive illud sit intrinsecus, sine extrinsecus, à causis externis ortum, cui prius prospiciendum est.

42. Etsi igitur dolor hic, pro varietate causæ, varia & diversa, imò quandoque contraria exposcat præsidia, tamen in genere notandum est, quod semper in hoc casu plurimum conducatur, ut alvus sit aperta; deinde ut medicamenta potius per clysterem injiciantur; quam per os exhibeantur: Tertiò, ut nulla medicamenta per os dentur, aut extrinsecus adhibeantur, ante alvi apertionem.

43. Quando itaque à pituita crassa & viscida ortum ducit, tum prima indicatio est diminuerè illum humorem ex parte affecta leniter purgantibus; idque per locum, quo natura sua maximè vergit humor, per alvum videlicet quod Hiera simplici vel sola, vel cum terebinthina commixta, additis paregoricis dictis perficitur, vel per vomitum, quod decocto alterato cum Anetho, Aniso, addito oxymelle vel simplici vel Squillitico præstari poterit.

44. Quo factò, Secunda Indicatio docet pituitam crassam ac viscidam fundere, eliquare, & hac ratione ad expurgationem

tionem præparare, ad flatus denique crassos simul respicere, cavendo illa, quæ nimium calefaciunt.

45. Postea ad validiora purgantia progrediendum, ita tamen ne vehementium purgantium attractione ad locum affectum, materia morbifica augeatur, præsertim in principio.

Quapropter tutius est, ut vicibus mediocriter purgantia propinentur, quàm unâ vice vehementia, cavendo tamen Rhabbarum & Myrobalanos, ob astringentem, quam possident, facultatem; Senam & Cassiam, ob flatulentiam, quam gignere solent.

*Aliis*

46. Sunt autem mediocriter purgantia: Infusum seu decoctum Agarici, Mechoacanna, Elect. Diaphænicum, Diacarthami, vel Elefchoph dissolvenda in decocto accommodato, & additis oleis infundenda, vel sine his per os assumenda, uti & jus galli antiqui cum Agarico, Sem. Carthami, & seminibus carminativis præparatum.

47. Expurgatâ materiâ etiam calefacientibus & attenuantibus, & discutientibus uti possumus, quibus admisceri possunt Chymica, ut spiritus salis Nitri spagyricè præparatus, qui omnibus scopis dictis satisfacit, spiritus terebinthi, extracta quoque & olea, ut vis medicamentorum magis ad intimiores intestini partes penetret, in quem finem etiam propinantur theriaca, Mithridatium, Aquæ theriacales, aliæque aquæ compositæ, quibus sudor unâ etiam elicitur, quem haud inutilem tunc judicamus.

48. Extrinsecus profunt foci calidi & ficci ex furfure & milio, sacculi, Inunctiones ex oleo Smegmatis, ol. Anethino, Chamomel., quibus penetrationis causâ guttulæ aliquod aliorum destillatorum oleorum admisceri possunt. Solemus etiam lapides interdum quosdam calfactos & linteo involutos admoveere loco affecto: Balneum etiam & in seffus ex simplicibus accommodatis tunc temporis utiliter usurpari possunt.

49. Si ex flatu affectus suboriatur, discutientia imprimis indicantur, tam intus assumenda, quam exterius applicanda. Inter assumenda sunt rotulae variae, ut Diacuminum, Diacalamment: Aromaticum rosat. Rotulae factae cum oleo succini, Anisi, & Foeniculi, Zedoariae aq. siliatitia ex Cinamomo, vinum hippocraticum dictum: praeterea magnae antidoti, ut Theriaca, Mithridatium. Extrinsecus paranda sunt fomenta, sacculi &c. ex milio, Sale tosto, floribus Chamomillae, seminibus Fenugraei, Fol. lauri, Rutae &c. additis gutt. aliquot oleorum stillatitiorum penetrationis causa.

50. Valet quoque in hoc casu remedium à Galeno celebratum lib. 12. meth. med. cap. ult. materia flatuum prius subtracta, cucurbitula scilicet magna umbilico imposita, nec spernendum est consilium ejusdem Galeni, ut scilicet in doloribus praesentibus cingulo constringantur partes abdominis.

51. At si dolor proficiscatur ex biliosis & acris humoribus, tunc humores illi statim detergendi & expurgandi sunt iis, quae bilem respiciunt, ut vomitoriis, ex aqua hordei cum oleo; dejectoriis per os adhibitis ex Rhabarbar., Syr. infusion. Rosar. aut Violar. Elect. Diaprun. solut. Pil. ex Aloë &c. per clysterem: ex decoct. Malvae, Violariae, Parietariae, sem. Lini, cum Elect. Hierae simpl. Elect. Diaprun. & Diasebestem sine Diagridio praeparatis. Extrinsecus verò usurpetur oleum Rosatum cum mucilagine sem. lini. Balneum aquae dulcis.

52. Si verò dolor ex phlegmone seu inflammatione fiat, tum, si inflammatio sit supra umbilicum, secunda est vena in cubito: Si infra umbilicum, ut urina intercipiatur, ex Paulo secetur vena malleoli. Clysteres & refrigerantes & laxantes, quales commodiss. fiunt ex decocto hordei, lacte, sero cum Saccharo rubro, & ol. Violaceo &c. maximè hìc conveniunt. Pariter quae per os assumuntur, sint refrigerantia. Exterius verò in initio locus affectus inungatur oleo Rosato completo,  
cum

enim vitello ovi, postea ol. amygdal. dulc. & Chamomel. Astri-  
ctoriis in hoc casu Gal. l. ii. Meth. Med. c. 16. dicit opus non esse,  
nisi fortè affectus cum fluxione sit.

53. Denique si dolor Colicus à duris & diu retentis excre-  
mentis suboriatur, primum hæc emollire oportet, & clysteri-  
bus injectis ex oleo, & assumpto mulso, oleo, balneo item a-  
quæ dulcis cum simplicibus humectantibus, eorumque oleis  
præparato: Postea verò propinandum medicamentum vali-  
dum, quod emollitas jam fæces possit deturbare. Possunt et-  
iam addi, quæ vermes necant, medicamenta, si videlicet illos  
adesse suspicio sit.

54. Quod si hæc valida non proficiant, confugiendum  
est ad illud auxilium propositum ab Hippoc. lib. 4 de morb. &  
acceptum ab Amato Lusitano cent. 4. curat. 89. ut folle fabrili  
inflentur intestina patientis, ut ex hac inflatione separentur fæ-  
ces ab intestinis: quo facto statim injiciendus est Clyster for-  
tis, cui admiscendum Salis gemmæ aliquid, quod, ut testatur  
Forestus, peculiari vi dura stercorea dissolvit, ægerque in balne-  
um prædictum locandus.

55. Interim quoque non negligenda sunt medicamenta  
ea, quæ peculiari proprietate juvare creduntur, qualia sunt, in-  
testina lupi præparata, & in vino ad ʒj. epota. Item sterces ejus-  
dem, quod Gilbertus sæpissimè cum successu se probasse testa-  
tur, cruribus tantum aut pectini alligatum, Avis galerita, quæ  
(teste Galen. l. 2. de simpl. med. fac. cap. proprio, & Aëtio l. 9. ca.  
31.) pulverisata idem præstat. Cornu cervi præparatum, umbi-  
licus infantis nuper nati, exsiccati & pulverisati, sterces bubu-  
lum exsiccatum, aut succus illius, aut aqua ejus per alembicū  
destillata. Verum his & similibus experimentis ita fidendum  
esse putamus, ut semper auxiliis illis potius utamur, quibus  
præter experientiam ratio quoque manifestior suffragatur, <sup>A</sup> quale est vinum Malvaticum cum aliquod guttis vel Spir. Te-  
rebinth. <sup>vel spir. salis, u</sup>  
<sup>Spir. Vibriolj.</sup>

rebinth. exhibitum, ol. nucis moschatae expressum, amygdalar.  
dulcium &c.

56. Quod restat, omnibus his compar victus ratio institu-  
enda est; Siquidem hanc negligere, vel perspectam non habe-  
re, calamitatis plena res est, secundum Hippocr. 6. Epidem. sect.  
8. part. 48.

57. Totam itaque ad calidum magis & siccum vergat, quam  
ad frigidum & humidum. Aëris itaque humiditas & frigiditas  
vitetur.

58. Cibi sint optimi succi & paucarum superfluitatum.  
Laudantur itaque volucres omnis generis, præcipuè sylvestres,  
& galeritæ, gallinæ, capones &c. A carnibus bubulis, suillis, an-  
ferinis, anatum & omnium avium palustrium, piscium item  
summè est cavendum Ab omni item olerum genere abstinē-  
dum, præterquam à Foeniculo, Melissa, Mentha, Salvia, Petro-  
selino, Majorana, quibus cum cibi condiri possunt.

59. Pro potu, si causæ calidæ (quod etiam in aliis præsup-  
ponimus, quia, omissis reliquis causis raris, potissimum dia-  
tam proponimus, quæ in colica à pituita & flatibus oborta,  
tanquam frequentissima, servanda est) absint, vinum convenit  
generosum album, Absynthite, & Hippocraticum dictum:  
Cerevisia Absynthite, cum calamo Aromatico, & Baccis Lau-  
ri præparata.

60. Exercitium corporis valdè antè cibum sumptum pro-  
dest, contra verò à cibo nocet.

61. Animi perturbationes, cujusmodi sint, arceat, Excre-  
tiones alvi quotidie ut respondeant laborandum esse antè jam  
dixi, & qui concitandæ sint monstravi. Quare finem hic facio,  
meliora monstrantibus cedere paratissimus.

CO.

COROLLARIA.

Pro Chartæ supplemento adjecta, quibus quaeritur

1. Quantum ab Antiquorum Paralyſi diſtet, & quomodo generetur Pareſis ex Colica?

**P**aralyſin vulgò vocant, Symptoma abolita vel motricis tantum, vel ſenſitiva etiam (ſi perfectæ ea ſit) quandoq; ſenſitiva tantum facultatis in uno aut pluribus membris corporis humani. Cujus, prout cauſſa diverſa eſt, ipſius etiam nomen, ratio & curatio diſfert. Nam quæ Apoplexiam non lethalem ſequitur Paralyſis dicitur; quæ verò Colicam, non niſi improprie, rectius Pareſis vel contractura. Differunt autem à ſe invicem 1. ratione originis. Nam illa Cerebri & Spinae morbos; iſta verò inteſtini Coli, ut dixi, comitatur. 2. ratione ſubjecti. Nam illic Nervii; hinc verò muſculi potiffimum, tendines & artus occupantur. 3. ratione Symptomatum. Nam in legitima Paralyſi ſenſus tactus ut plurimum cum motu voluntario planè tollitur, aut ſanè diminuitur: in Pareſi verò plerumq; ſenſu tactus ſuperſtite, quandoq; etiam moleſto motrix tantum facultas labafeit. Quibus addas licet: Genuinam illam nervorum reſolutionem à principio ad finem eodem ferè habitu eſſe constantem ac quodammodo perpetuam, & ut plurimum Medicorum manus eludere: Contracturam verò per vices & intervalla egros magis minusq; moleſtare, ceſſare & redire, quandoq; copulari cum Arthriticis doloribus, interdum in convulſiones abire, nec tamen adeò Medicis auxilijs, præſertim ſi ſtatim in principio εὐδὴως adhibeantur, rebellem eſſe, ſed facilius ijs cedere, quàm veram Paralyſin. In quibus quidem pleriq; authores rerum Medicarum conſentiunt: quæ verò ratione aut via Colica in Paralyſin tranſmigret, non adeò planum eſt. Mercatus enim, Steegius & Hoffm. in Conſilijs Cratonianis ajunt, materiam non ex inteſtiniſ tranſmitti ad artus, ſed à capite. Ideoq; ad eam tantum Colicam ſuccedere Pareſin, quæ ex delapſu humorum.

humorum à Cerebro ad intestina per venas sui ortum & incrementum ducit, qui humores post novâ, aliâs usitatâ viâ per nervos sc. ad Musculos defluant, & pro Colicâ, quam prius causârant, contracturam efficiant. Alij noxiam materiam ab intestinis nervoso generi per arterias communicari autumant, ut Reusner. de Scorb. Alij ad asylum illud Hipp. πέντε ἢ ἑξήκοντα σπύγγων confugiunt. Alij materiam ad caput regurgitare & evaporare, vel mediantibus lumborum & spinæ vertebris, per nucham, secundum nervorum propagines ad artuum extremitates descendere, opinantur. Alij verò, & rectius statuunt, illam ipsam materiam, quæ cruciatus in Colo fecerat è venis Meseraicis in cavâ venæ tubulos remeare, atq; hinc in habitum corporis & musculos, in quos venæ terminantur à natura effundi. Cujus dogmatis rationes & pondera legere licet apud Clarissimos Doctores Sennertum & Horstium, Præceptores meos jugiter honorandos, quibus cum ego non possum non facere. Contraria sententiæ fundamenta in ipso conflictu pro viribus diruemus. Charta enim angustia plura non admittit.

2. An internus mellaginis Saturni usus ad curam Colicæ faciat?

Ita Crollius Basil. suæ Chymicæ pag. 274. sentit. & Quercetanus alicubi non multum dissentire videtur. Sed quia Colicæ morbus ut plurimum est frigidus & pituitosus: Sal verò Saturni, ejusdem Crollii judicio & omnium consensu pænè extrema frigiditatis, ut intra corpus sumptum, etiam viros emasculat; ad hæc ventrem constipet, quod Colicæ pestis est, Non probaverim ego, nisi ubi aperta alvus, & dolor est ab inflammatione magnâ; aut ubi vagi & sulphurei spiritus subtilitate & fervore suo intestina lancinât. Tum n. in parvâ quantitate cum vino vel appropriato posset admitti, quatenus horum compescit acrimoniâ, eosq; ne tam liberè grassentur coagulat. Illius etiâ (inflammationis) augmentum phibet, fervorem mitigat, maturitatē p̄mover. Sed & Phlebotomia p̄reulsione hic d̄cessisse oportet. Finis.



Elenchus contentorum.

Bismarckii vita et res gesta theologorum orthodoxorum recens.

MUSNERI Fides Jobi.

concilium oecumenicum octavianum.

ULB Halle

003 509 435



3

5le


V. 17.





*Handwritten text on the spine, possibly a library or collection number.*





ΣΥΝ ΘΕΩ  
*DISPUTATIO MEDICA*  
**DE GRAVISSIMO COLI-**  
**CÆ AFFECTU;**  
*Quam*  
*Præsidente*  
Excellentissimo Clarissimoq; viro  
**DN. IOHANNE**  
**HARTMANNO PHILOS.**  
**ET MEDICIN. DOCTORE ET CHYMIA-**  
triæ in Illustriff. Academ. Marpurg. Profess. publico,  
Præceptore ac Promotore suo debita cum  
observantia colendo.  
*Exercitij gratia publicè ventilandam pro-*  
*ponit*  
**JOHANNES KHEYLL URATISLAVIENSIS**  
**SILESIVS.**  
*Marpurgi ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,*  
*Anno DeVs NobIsCVM.*

